

/ Admodum Reverende Domine. Accepi per Reverendum Dominum Viar-
dinum literas Reveren. Paternit. Vestrae, et egi cum Sanctissimo
Domino, et Pater Nostro Summo Pontifice de gratia, quam cupit Reve-
rende Paternitas Vestra. Quamvis autem initio difficilem se prae-
5 buerit Pontifex, existimans ordinariam auctoritatem visitandi et
reformandi, quam superiores vestri ordinis habent, satis magnam
esse; tamen recepit, se de hac re maturius cogitaturum. Ego vero,
Pater religiosissime, non refugi munus protectoris ordinis Prae-
monstratensis, quod non cupiam tam praeclaro ordini pro viribus
10 deservire; sed quoniam protectiones eiusmodi non solent à cardina-
libus quaeri vel suscipi, nisi à Summo Pontifice demandentur. Et
praeterea accedebat alia ratio, quod cum ordo Praemonstratensis
non sit in Italia, non confidebam me eam notitiam personarum, et
negociorum habere posse, quae requiritur ad munus protectoris rec-
15 te obeundum. Denique illud me à suscipienda ista protectione revo-
cabat, quod protector sim Coelestinorum, et illa una protectio sa-
tis me occupatum teneat, praesertim iam senem, et plurimis aliis
negotiis distentum. Quare Reveren. Paternitas Vestra boni consulat,
quod alienum me a protectione vestri ordinis ostenderim; atque in-
20 terim certo sibi persuadeat, me non defuturum officio charitatis,
ubi quid facto opus sit, mihi significatum fuerit. Valeat Admodum
Reverenda Paternitas Vestra mei memor in sanctis precibus suis. R-
Romae die 22 Iulii 1610.

Epist. famil. LXXVI.

Servatius de Lairvez O. Praem

25 Archiv. Vatic. Mss. Gesuit. 18 fol. 48. Brouillon autogr.